

REIP. AC ECCLESIAE RIGENSIS  
ANTISTITES,

Utriusque Lumina atque Columina,

*Quin imo*

Aures quascunque doctas,

Ut

DE PIETATE

JUVENEM

Pietatis ac Industriae laude Eximium,

ANDREAM TIEFFENBROCK,

Rigã-Livonum,

*Ad IX. Decembris horam X. matutinam,*


*in Lycei nostri Aroaterio,*

verba facturum pronò excipiant affectu,

demissè ac officiosè invitat

M. HENNINGUS WITTE,

Eloq. & Histor. P. P.



R I G Æ,

*Typis Nöllerianis excudit Joh. Zachar. Nisius.*



Olytheismus priscis temporibus apud Gen-  
tes, veri Numinis ignaras, inque caligine  
mersas, adeò usque excrevit, ut, juxta  
Plinium, sagacem illum naturæ mysten,  
major pænè Cœlitum Deorumq; populus,  
quàm hominum, extiterit. Quò & digi-  
tum intendere videtur Suada Belgica, Box-

hornius: Tot, inquit, Dii prodière, quibus recensendis non-  
numeri omnes sufficiunt Arithmeti-  
corum. Mitiori nequaquam  
fatò Atheismus, qui prout omnium scelerum, sic & omnium  
suppliciorum divinitus immissorum fundus est, totum nunc  
propè orbem lugubri inundavit cataclysmò, ut & certo se in-  
cludi amplius termino detestandi supremi Entis irrisores haud  
patiantur. Quamobrem, ut id demonstramus, nulla nobis im-  
ponitur necessitas Protagoram ex Orco reducere, cujus inter  
portentosa scepticæ quondam mentis deliria & illud Diogenes  
refert Laërtius: De Diis statuere nequeo, neque an sint, nec ne.  
Sunt plurima, quæ id scire prohibent, quippe & summa rei in-  
certitudo, & brevis hominis vita. Idem *διὰ πάλιν* sensisse A-  
anaxoram, sed fulmine propterea ab irato percussum Jove in-  
teriisse, Lucullus apud Ciceronem planissimè comprobat.  
Multò minus in subsidium huc vocare cogimur Souldanos, ex-  
tremos Asiæ incolas, quos, si Thomæ Herberto fides, adeò per-  
versos, adeò rudes offendit, ut nullam religionis scintillulam,  
neve ipsum Deum, Cœlum, Infernum, aut æternitatem illis sub-  
oluisset, variis percontandi modis elicere potuerit. Atque ta-  
lem etiam inter barbaros stuporem Socinus evincere conatur,  
asserens; non singulos duntaxat homines, sed integros in Bra-  
silia populos inveniri, qui nullum penitus sensum aut suspicio-  
nem divinitatis alicujus habent. Verùm enim verò gentem in-  
inibi, brutorum generi non absimilem, sine Deo, sine lege vi-

vere, Hieronymus Benzo, aliique Orientis plagam curiosè per-  
lustrantes, denegant, suoque magis illud Tullianum approbant  
calculò: Homines falsum habere Deum, quàm nullum omninò  
malunt. Quicquid sit, illud sanè lumen, quod mortalium quo-  
rumcunque, etiam ferocissimorum, mentibus benignissimus  
indidit Conditor, eradi in totum nequit, usum nihilominus e-  
jus, per profanas admodum induratæ rationis speculationes,  
sæpius supprimit, quis inficiari audet? Horrenda enim illorum  
hoc declarant exempla, qui innatam Numinis notitiam imma-  
nitate efferati obtundunt, suæque culpâ laxato affectibus freno  
ita obbrutescunt, ut nullo nec Dei, nec honestatis sensu tangi  
videantur. At, ut jam innuimus, opus non est, ex cariosis an-  
tiquorum annalibus, nec ex remotissimis mundi angulis sceleratis-  
simos accersere Atheos, dum (heu dedecus!) pestilentissimum  
hocce virus in politiori quoque Europa eos, qui sub Christi mi-  
litare vexillis discipiunt, nostrâ hâc ætate ad eò occupavit, ut  
rem sanctissimam æquè ac manifestissimam atroci impugnare fu-  
rore minimè vereantur. Complures, observante Leonhardò Les-  
siò, hodie sunt, qui divinitatem animo negant, non tamen ita  
passim noti. Premunt etenim silentio hoc mysterium, metu  
legum, nec ausi evulgare, nisi apud familiares. Quid? quod ma-  
gis mirandum, largissimisque deplorandum lacrumis, non idi-  
otas dari solùm & ex ima vulgi fece, sed & homines (non ho-  
mines rectius dixeris) cæteroqui sapientiâ, autoritate, inque  
Republica literaria meritis eximios, qui eâdem mentis ducuntur  
vesaniâ, potentissimo Numini cultum ex destinata malitia  
& ineffabili petulantia subtrahentes. Unde in Gallia, uti me-  
Cl. Spizelius docuit, peculiari dicuntur nomine *De grues*, quasi  
minimè grues, quod falli facilè non possent, sive etiam *Esprits  
forts* se indignant, creduntque eò usque confirmatos, ut nihil  
amplius credant. Solemne horum fuisse symbolum perhibetur;  
Mens perit & corpus, Neque perexiguum inibi putemus  
Atheorum

Atheorum reperiri numerum, testem, ad instar multorum, Cornelium à Lapide producamus, in hunc modum differentem: Epicureismus ita invaluit, & indies magis invalescit, ut Calvinus ipse admiretur, in sola Gallia tot esse examina Doctorum, qui illi seminando sedulò operam navant, ac discipulorum infinitam multitudinem. Itatorum ingenia mollia, libertina & athea, nemo, nisi in orbe hospes, ignorat, adeoq; heic dicere de iis nihil refert, præter illud, quod Melanchthon Theologo cuidam, istius occinit regionis atque religionis: Vos Itali vultis disputare Deum seu Christum esse in Eucharistia, quem non creditis esse in Cœlo. Instituti hujus non patitur ratio, ut ex Anglia, omnium hodie religionum & monstroforum dogmatum sentina, Belgio, altera quasi Libertinorum Africa, aliisque provinciis inclutis, gigantes istos Θεομωχεύσις longâ serie producamus. Ipsa, proh dolor! experientia, veritatis magistra infallibilis, satis superque loquitur, plures, quàm par est, & credi potest, ubivis prorumpere locorum, quibus cum Dionysio Syracusano omnia sacrificia, omnem summi Rectoris cultum, ab homunculis ei debitum, jocosis prosequi dictis allubescit. Hujus fuffuris detestandus erat nebulo Franciscus Rablæsius, Monachus ante Franciscanus, dejectò post cucullò, Medicinæ consecratus, dum omnia jura, divina humanaque, proculcavit, ludibrio habuit, & Acheronti proximus ingenti cunctos cachinnò excepit, qui Deum, ejusdemque misericordiam illi proposuere. Quid de Cardinale Perotto dicamus, cui meritò singularem inesse sanctitatem quis præsumit, quod, cum uno die coram Gallia Rege Henrico III. Deum esse probasset, alterò statim die, nisi silentium ei fuisset injunctum, pari παρρησία contrarium asseruisset? Quid de ipso Præsule Rom. Clemente VII, aulae cœlestis claves sibi vindicante qui in sede Apostol. tanquam è tripode Delphico, moriturus pronuntiavit; se mox de tribus fore certiolem, de quibus semper dubitasset; An nempe Deus sit, an anima immortalis, an vita post hanc

hanc alia? Neq; ab hac ἀθεότης & secta segregandi Naturalistæ & civiliter honesti, à Gisb. Voetio ita appellati, quod solum Naturæ lumen ad æternam consequendam vitam sufficere, adeoque omnem superfluum esse Revelationem, acerrimè contendunt. Quibus annumerari possunt Baniani, Philosophi in Tartaria, qui Deum ex meris Naturæ viribus colendum existimârunt. Hi supra vulgus sibi sapere videntur, Religiones quascunq; alias falsè irrident, aut si quid fortè ex iis probant, probant illa tantùm, quæ humanæ consentanea rationi, cætera falsa esse arbitrantur, nec dissimilia tragœdiis Poëtarum. Inter hosce faciliè eminent Anglus ille decantatus, Edoardus, Baro Herbert de Cherberi, id unicè intendens, ut imperitorum animos, à genuina perfectaq; religionis & cultus norma, sacra nimirum Scriptura, avocet, & ad humanam rationem, sæpe ad res clarissimas, non secus ac vesperilionum oculi ad lumen diei, cæcutientem, deducat, ut sic isti ex parte religioni omni, ex toto autem nulli se sincerè applicent. Quocirca quinque communes circa religionem notas impiè excogitavit, quas Theologus ἀκριβές αἰος, B. Musæus, justâ castigavit animadversione, fucumque feliciter detexit. Eandem quoque olim mentem fuisse Bodino apparet, ut exinde non ita pridem à Superintendente per Ducatum Bremensem Regio, Diecmano, exquisitâ refutari diligentia promeruerit. Cæterùm de Julio Cæsare Vannino, infrunito naturæ Dæ sacerdote, Petro Aretino, Bernardino Ochino, aliisque cujuscunq; ævi verrucis multò pessimis, in præsentem præstat silere, quàm insensibili modò incautum legentis animum Stygiis istis inquinare venenis. A Naturalistis ad Neutralistas (ut res barbaris vocibus exactè conveniat) pari descendimus passu, illosque indifferentes ac promptos ad religionem quamlibet suscipiendam deprehendimus. Hi actutum & subtiliter nimis de Ratione Status, ex percallida Machiavellistarum arte differunt, nihilque frequentius ore proferunt, quàm splendidum illud interesse Prin-

cipis

cipis & Republicæ. Modò ajunt, modò negant, quodvis protinus promittunt, nihil vel rarò quicquam præstant, religionem, quidem colunt, sed nullam agnoscunt, & de æternitate parum sunt solliciti. Talis inventus olim fuit vertumnus, Ecebolus, Rhetor Constantinopoli, qui superiorum se mirè conformans ingeniis, Constantii quidem tempore fervidissimum pietatis Christianæ zelum præ se tulit, Juliano autem imperii moderante habenas, acrem se in Paganismo ostendit, tandemq; rursus, sub orthodoxo Cæsare, pro fidelium socio haberi laboravit. Unde non abs re Themistius, Philosophus Ethnicus, dixit: Manifestum esse, tales, qui se Principis religioni accommodant, non Deum, sed purpuram colere, similimosque esse Euripo, qui modò in hanc, modò in contrariam partem suum commutat cursum. Et hæc præsentis adhuc seculi labes est, ut quis pro insigni laudetur Politico, si vitâ moribusq; Gnathonem referre aulicum, si dolis ac fallaciis uti, & aliquid Tiberiani Genii adumbrare didicit. Ita Callicrates, homo, quemadmodum Nepos vivis illum depingit coloribus, & callidus, & ad fraudem acutus, sine ulla Religione ac fide, quod Pseudo-Politicorum proprium est, Dionem, ducem militari gloriâ insignem, adiit, commonstrans, quâ ille ratione intentata hostium suorum tela omnium felicissimè effugeret. Quid fit? Ad interficiendum eum mox socios conquirat, adversarios ejus convenit, conjurationem confirmat, mortem cruentam procurat. Si illud Epicharmi: *Νῆφε ἔ μέμνησο ἀπιστεῖν*, sobrius esto, & memento diffidere, melius Dion observasset, simulatâ neutiquam captus periisset amicitia. Ut ergo nulli fidere, inhumanum, sic omnibus, stultum. Pulcrum quippe quàm plurimis apparet, aliud clausum pectore, ut cum Salustio loquar, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque, non ex re, sed ex commodo æstimare. Sed is abominatio est Jehovæ, utpote qui bilinguem Politicum, vel potius Polytropum, phaleratis blandisque verbis innoxios in-

perni-

perniciem trahentem, ferre recusat. Quid juvat, mundano-  
rum gratiâ provifum undique & munitum esse, fi Cœli favor te  
deftituat? Quàm miserum est, Crassos & Darios, post vestis mu-  
rice ardentis fulgorem lapillorumque pretiosorum nitorem, nu-  
dos ad inferos descendere torquendos! Solebat Placilla Augusta  
marito suo, Theodosio Magno, cotidie hanc recitare senten-  
tiam: Memento, mi marite, quis fueris, quis jam sis, & quis sis  
futurus. Sic Romanum Imperium governa, ut administrati-  
onis tuæ rationem, Deo, qui illud tibi concedidit, possis reddere.  
Hæc si altius perpenderent omnes, quibus secures præferuntur,  
melius atque tranquillius res humanæ se haberent, & turbarum  
minus in Rep. foret: Non occurrerent quoque, qui miserum de-  
gluberent populum, sed infucatâ fide ac pietate ducti, justam  
Omnipotentis manum timerent, ne aliquando talionis lege se-  
verissimè punirentur. Id quod pluribus, ceu par est, novellus  
explicabit Declamator noster, dum Perquam Reverendi Pa-  
rentis sui exemplò incitatus, ex publica Lycei Orchestra, de ipsa  
**PIETATE** dicere constituit. Hanc, ceu margaritam pretiosissi-  
mam, afficiendo mentem, corroborando cor, delectando ani-  
mum, nemini non de meliori commendare conabitur. Unum  
acturus, ut singulari vitæ integritate, illibatâ morum sanctitate,  
rectæque voluntatis conscientiâ, uni, quem omnium habemus  
operum nostrorum & spectatorem, & testem & arbitrum, pla-  
ceamus **DEO**. Materiam sterili huic virtutum ac pieta-  
tis seculo aptiorem vix invenire potuit, quâ ingenium exer-  
ceret, & Optimates sibi benivolos redderet. Quocirca Literato-  
rum Mæcenates, literarumque amantes, submissè ac peroffici-  
osè rogamus, ut tantillum, quod hujuscemodi exercitiis attribui  
solet, gravioribus suis subtrahant negotiis, ac de nostra rursus ob-  
sequendi & inserviendi promptitudine securi, ritè secum cogitent;  
omne tempus fluxum esse & vanum, quod seriæ non impenditur  
pietati. Dab. Rigæ d. VII. Decembris, anno cl<sup>o</sup> Ioc **XXCIV**.